

SCRIPTORUM VETERUM LATINORUM

INDEX

EX LATINA BIBLIOTHECA

V. C. JOHANNIS ALBERTI FABRICII.

- A**ccius, sive Attius L. inter fragmenta veterum Tragicorum a Stephanis collecta, floruit ducentis fere annis ante natum Christum.
- Afranius L. comicus inter fragmenta veterum Tragicorum a Stephanis collecta: floruit centum annis ante natum Christum.
- Alcimus Avitus, Viennensis Episcopus, anno Christi DXXIII.
- Sanctus Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, A. C. CCCLXXIV.
- Ammianus Marcellinus, quem H. Valesius patria Antiochenum facit, homo Græcus, & militaris, sub Constantino, & proximis Imperatoribus usque ad Theodosium vixit. Rerum gestarum seriem contexit a Nervæ principatu ad excessum usque Imperat. Valentis, libris XXXI. Primis tredecim deperditis, solæ ætatem tulerunt postremi duodeviginti. De Ammiani stylo, & dictione extat judicium Salmasii in præf. de Hellenistica. *Quis compositione magis est inconditus, & lutulentus, quam Ammianus Marcellinus? Quis phrasas unquam usurpavit duriores, inconcinnaiores, ac rusticiores? ut homo Græcus, & militaris, qui voces tantum Latinas teneret, quomodo essent collocandæ, nesciret, prorsus loquitur.*
- Ampelius L. a Sidonio memoratus, incertæ ætatis.
- Ancyranum Monumentum, de rebus gestis Augusti Imper. incertæ ætatis.
- Apicius Cælius, Scriptor incertæ ætatis, patria Hispanus, ut suspicatur Carolus Avantius. Extant ejus libri de obsoniis, & condimentis, sive de re culinaria, inventi A. C. 1454. sub Nicolao V. Pontifice in insula Megalona, quem admodum tradit Platina in vita Nicolai.
- Apulejus L. Orator Jctus, & Philosophus Platonicus, ex Medaura Africæ urbe: utraque lingua Græca, & Latina instructus: floruit temporibus Antonini Pii, & fratrum M. Antonini Philosophi & Veri. Ejus dictio durior est, & licentior in detorquendis vocabulis, adverbis præcipue, & diminutivis.
- Aquila Romanus, inter antiquos Rhetores collectos a Francisco Pithæo.
- Arator, Subdiaconus A. C. DXLIV. libros duos edidit de Vita S. Pauli ex Actis Apostolorum expressa carmine Epico, præmissis duabus brevibus Elegiis, una ad Florianum Abbatem, altera ad Vigilium Pontificem.
- Arnobius, Orator, gente Afer, A. C. CCXCVIII.
- Ecclesiasticorum Varronem vocat Vossius l. i. c. 9. De analogia.*
- Asconius Pedianus, Patavinus, sub Augusto Cæsare, & cum Virgilio familiariter versatus, si Servio, & Philargyro fidem habemus. Præstantissimos ejus commentarios, quamvis multos, & imperfectos habemus in Orationes quasdam Ciceronis, quibus nonnulla minus Latina, & Asconio indigna a sequiore manu inserta esse, queritur Hadrianus Cardinalis l. De Modis latine loquendi.
- S. Augustinus, natione Afer, A. C. CCCXCVI. Habet Augustinus (inquit Erasmus in præf. ad Opera ejusdem) suum quoddam dicendi genus argutum & periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem, & familiarem, & acutum, & attentum, & bene moratum requirit, denique tædii, laborisque patientem, quales non ita multos reperias. Et epistol. ad German. Bix. l. 20. Ep. 2. Scriptor, & obscuræ subtilitatis, & parum amœnæ prolixitatis.
- Avienus Rufus Festus, Hispanus, vel ut aliis visum est, Italus patria, Theodosii Junioris, Marciani, & Leonis Thracis temporibus, non vero Diocletiani, ut Petro Crinito placuit, clarus: varia Latino carmine composuit.
- Aulus Gellius, vel Agellius, ut efferunt alii, Romanus, Vir elegantissimi eloquii, & multæ, ac facundæ scientiæ, ut habet August. l. 9. De Civit. Floruit sub Antonino Pio. *Infinite vocibus (inquit Salmasius l. de Hellen.) locum dedit Agellius in Atticis noctibus, quæ noctempotius, quam diem ea in ætate saperent; adeo obscuræ erant, ac tenebrosæ, & vix illius temporis hominibus intellectæ. Apud omnes tamen hodie literatos pro elegantissimo Latinæ Linguae Auctore habetur, & olim habitus est: passimque a Grammaticis tanquam Scriptor idoneus citatus, a quibusdam etiam multis in locis ad verbum pene transcriptus.*
- Aurelius Victor, Afer vulgo habitus, sub Constantino librum edidit de Origine Romanæ Gentis & de Viris Illustribus, & Cæsaribus.
- Ausonius, patria Burdegalensis, Grammaticus, & Rhetor doctissimus, poeta vero suavis, atque ingeniosus, obiit imperante Honorio, An. Christi CCCXCII.
- Boethius, sive Boetius (utrumque enim in antiquis Lapidibus, & Monumentis invenitur) patria Romanus, A. C. CCCCLXXXVII. floruit.